

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**PROGNOSTICA=||TIO IOANNIS LIECHTENBERGERS, QVAM
OLIM SCRI-||psit super magna illa Saturni ac Iouis
coniunctione, quae fuit Anno M.CCCC.||LXXXIII. praeterea
ad eclipsim Solis anni sequētis uidelicet ...**

Lichtenberger, Johannes

Köln, 1526

Capvt quartvm

[urn:nbn:de:bsz:31-160364](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160364)



CAPVT QVARTVM.



Aturæ concessum est ò inuictis. Imp. ut qui existentiam tutari uelint, unitatem amplecti maxime studeant. Rerum profecto uniuersitas entis unitatē appetit. Vnde grues volatu suo unū sequuntur ducem. apes dum mellificant, sibi ductorem proponunt. formicæ cum prouidēt, praeuentis uestigiū seruant. exercitus milites Imperatorē colunt unum. Recte ille sapiens philosophorū princeps Aristoteles ait, Principatum pluralitas mala. unus sit princeps à quo

D

PROGNOSTICVM IOANNIS

potestas, norma, disciplina fluit, manat, deriuatur omnis. Optima itaq; ratione suadeo orbis reges, potentatus, & mortales uniuersi, catholica fide imbuti Romanorū regem, principum principem & monarcham colere. Nam conditor noster mundū ingrediens honorauit Imperium, tempore sui aduentus per ipsum Cæsarem mundum placauit, ut in ipsius domini p̄sentia pax esset nostra. Igitur posuit prodigia sua, id est iudicium futuræ recōciliationis supra terram, auferens bella usq; ad fines terræ. & alibi, orietur in diebus domini abundantia pacis. Iterum saluator noster honorauit Imperium, mox ut natus fuit censui Cæsaris se subdendo, & non solum dedit, sed etiā dari præcipit dicens Matth. xxij. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Tertio iterum honorauit Imperium, egressurus de mūdo aiebāt apostoli domini, ecce duo gladij hic. Dominus, ut Lucas, respondit satis est. Quid est dicere satis est, nisi sufficit & nihil deest? Protestatus est dominus sua ipsius uoce potestatem sæcularem & Imperialem, qui illis temporibus uigebant in deo sufficere, & eis nihil deesse. Quarto dominus Romanū Imperium honorauit, instante em̄ passionis hora, dum Pilatus iactaret se de potestate quam haberet, dixit, Nescis quia potestatem habeo crucifigere te? &c. Dominus (ut dicit Ioannes) respondit, Non haberes ulla potestatem aduersum me, nisi tibi datum esset desuper, quod exponitur duobus modis. Vno modo desuper, id est de caelo, quia nulla potestas nisi à deo. Alio modo desuper, id est à Cæsare, qui Pilatum præferebat in præsidem, unde si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Quare sexto dominus Romanum Imperium honorat adhuc, quia stante & durante Romano Imperio, non ueniet homo peccati filius perditionis Antichristus. Admonet ergo Apostolus Imperatorem Theffaloniceñ. ij. cap. dicens, Qui tenet teneat, quæ uerba Romanum Imperiū designant, quo destructo, ueniet Antichristus. Vnde Fridericus qui Romanum Imperium tenet, teneat de rege in regem, donec penitus auferatur, id est tolletur de medio, & reueletur ille antiquus, quem signari Antichristum nullus ambiget.

CAPVT Q VINTVM.